



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

12. Decembris. Negligentia, & tepiditas semper mæstos pariunt ignavo  
labores. S. Ignat. in Epist. de perfect.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

ræ ordinem , sic etiam omnem philosophorum captum excedit ; ille solus virtutis hujus magister est , qui mitis erat, & humilis corde.

Externa mala tolerare, cortex solum est patientiæ : ast ea ferre æquanimiter, quæ animam vulnerant , hæc medulla virtutis est. Hic Rhodus, hic factus est. Sinceræ hic lapis lydius virtutis.

Corporis ferre molestias , jactantia sæpe, sæpe pertinacia docuit : ast animi læsi gemitus comprimere , spiritus ad alta natos , intra rectæ rationis limites cohibere, non nisi fortitudo potest.

## 12. Decembris.

*Negligentia, & tepiditas semper maestos pariunt ignavo labores. S. Ignat. in Epist. de perfect.*

**M** Agis ille laborat, qui minus. Otiosi citius atteruntur viribus , quàm negotiosi ; qui suis indulgent cupiditatibus, plura patiuntur iis, qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifixerunt.

Ubi fervor est , ibi labor non est ; ubi amatur, ibi non laboratur , vel certè labor ipse

ipse amatur. Amplius nos terret difficultatis metus, quàm ipsa difficultas.

CruX tepidorum est gravissima. Idem cum ferventibus onus sentiunt, sed unctiorem cum illis non accipiunt. Hæc eam fervido animo alacritatem facit, ut quàm parum avem pennæ, tam modicè omnes difficultates eum onerent, ut potius evehant in sublime.

Grande malum, quod domi nascitur; semper adest, continuò premit, & quod deterrimum, medicam manum impedit; quia non aliter, quàm domesticâ curâ, & sui interitu sanabilis.

### 13. Decembris.

*Certum omnino sit, Deum semper esse ad liberalitatem paratum, modò altam in nobis, profundamque humilitatem inveniat. S. Ignat. in Epist. ad Hispan.*

**U**T pronissimæ in valles è montibus confluunt undæ; sic nullus abundantiora charismatum ab Altissimo fluenta speret, quàm qui se, sui que æstimationem à se quàm profundissimè abjecerit.

Si enim vas vacuum non sit, aquam  
non